

qui sciebant veraciter fines ipsos et quod propterea iudex Riccardus de Dipiniano, Petrus de Electo de Monticino, Michael de Germitanis^{e)}, Ligulotta de Rauiniano, Iacob de Cassano, Paganus et Tarsitanus de Dipiniano et Petrus de Fiandina, Maurus Buffus, Rogerius de Magalda, Petronus Mauritanus et Constabilis de Paterno fideles nostri iurati dicere veritatem et^{f)} circumeuntes eamdem culturam cum predictorum archiepiscopi Cusentini et camerarii nostri nunciis sive vicariis in ipso negotio, videlicet Rufo canonico ecclesie Cusentine, Malgerio de Rublano, Benedicto, Iacob et Iordano iudicibus Cusentie et Ioanne de Mangone fidelibus nostris testati sunt, quod cultura ipsa iis finibus terminatur: A parte superiori finayta Thome filii iudicis Goffredi de Dipiniano et via publica, qua itur a casali Dipiniani Cutrunianum usque ad flumen Diassule, de uno latere ipsum flumen descendens usque quo iungitur finayte matris ecclesie Cusentine et sancti Nicolai de Calabrice et ferit ad flumen Tornaricii et ascendit ipsum flumen usque ad pantanum de Iace in lecto et inde ascendit usque ad finaytam dicti Thome de Dipiniano et concludit; hanc totam culturam de demanio regio dicentes et sic etiam per quosdam de seipsis et alios iuratos extitisse terminatam tempore felicitis memorie domini imperatoris Henrici patris nostri et domine imperatricis Constantie matris nostre preter terras, quas infra ipsos fines possidet predicta ecclesia sancti Nicolai de Calabrice, predictus Thomas de Dipiniano, iudex Riccardus de Dipiniano, Michael de Germitanis et illi, qui vocantur de Bandifocis, secundum fines et finaytas uniuscuiusque. Verum quia memorati abbas et conventus Florentis ipsum scriptum authenticum et^{f)} sollemne per Guillelmi publici Cusentie notarii manum a prenomatis archiepiscopo et camerario Cusentinis factum fieri et tam ipsorum et nunciorum vel potius vicariorum in ea parte suorum subscriptionibus^{g)}, quam prefati Regini archiepiscopi subscriptione pariter et sigillo munitum nostre inspiciendum excellentie transmittentes humiliter supplicarunt, ut prenominatam ipsius iamdicte culture sue diffinitionem per prescriptorum duodecim iuratorum testimonio confirmare in perpetuum digneremur^{h)}, nosⁱ⁾ et respectu supplicationis eorum et amorem iustitie, que vult succidi origines litium et causas perimi scandalorum, testimonium eorundem duodecim iuratorum, quod in memorato sollemni scripto contineri, sicut dictum est, vidimus, approbamus et eamdem ipsius culture diffinitio-

XIII. e) n aus ri verb. M

f) übergeschrieben M

g) davor sub getilgt M

h) M

i) danach Wort getilgt M